

Johann Conrad Dannhauer   Michael Baumann


## **Disquisitio Theologica, De Passione Et Morte Theanthrpu, nostri Domini Jesu Christi**

Argentorati: Simonus, 1635

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746345100>

Druck   Freier  Zugang





95

52<sup>b</sup>.6.



Ja 1092 (95)

Tomo hoc XLVII. continentur:

1. Dithemi Icarus Academicus Norimb 1643.
2. Acclamatione preempitica Academia Genensie cum eo  
descenderet idem Ditherrus.
3. Orationes inauourales Academia Guodunensie Patavoni.  
4. Polyvardi. Walai. Anno. 1620.
5. Thysii.
6. Hommi.
7. Sinapij.
8. Ravi Panegyria Orientaliby linguis Trajecti ditta. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de studio Theol. Rostoch 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostochi. 1643.
11. Iusti Jone oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heimfii. Homulia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —. In Chnsti Passionem. ibid. eod.
14. Quistorpij de Vinbu Liberi Arbitrii ep II. cor III, 4. s. 1645.
15. Samhauen Domini gloria crucifixus. 1633.
16. —. De Melchisedeco e Gen. XII. 1634.
17. Iacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —. Analysis Capiti Nad. Romanor. eodem.
19. Dorschauc De tribu testibz in Terra. 1 Jo. V, 8. 1635.
20. —. De Peccato originali. eod.
21. —. Synopsis Theol. Zachariana.
22. —. ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —. ad Act. IV, 27. 28. 1646.

24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.  
 25. D. Hamelkenig de Persona Christi. 1645.  
 26. D. Cothmannig de Predestinatione. Rostoch. 1692.  
 27. ———. Pars II. ———  
 28. Jo. Croig de Orthodoxa Fidei Delecta Mamp. 1619.  
 29. ———. Vano. per Europā Doctrina cum script. s. conformitas.  
 30. ———. De Apostolici nominis causis.  
 31. ———. De Apostolica Ecclesiarū Vrang. Doctrina.  
 32. ———. De Catholicismo Eccl. Evangelicae.  
 33. ———. De Antiquitate Relig. Evangelicae.  
 34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Finkium. 1606.  
 35. ———. De Analogia seu proportione.  
 36. Perzelius de S. Coena Stempforti 1602.  
 37. Tossani Theses contra Evangelicos. ibid. 1605.  
 38. Ravenspengeri Samson redivivus. ibid. 1619.  
 39. Heyderi Ruae quæstionum Theol. Maynurgi. 1611.  
 40. Eglani de Generaliōe Christi. ibid. 1608.  
 41. ———. De Fide justificante. ibid. 1617.  
 42. ———. De Peccato in Spiritum S. cod. 44 β. Croig de Pecc. de Baptismo.  
 43. ———. De Predestinatione. ibid. 419. Doctrina  
 44. ———. ~~Compensationem pro peccatis~~  
 45. Conradig Vorshig de Idolatria Pontificiorum in cultu Iuriani.  
 46. ———. ~~Ita~~ Stempfort. 1608.  
 47. ———. De Idolatria eorundē in cultu sanctorum  
 48. ———. In cultu Imaginum  
 48. ———. In cultu ipsius Pontificis.

49. P. Petri Roeftii Soc. Jes. Disputatio Paradisiaca
50. Corradi Vossii Oratio Apologetica in  
pleno Confessu Ordinum Hollandiae et Westphaliae  
Gita. Hartmanni. 1612.
51. Ebelius de Generatione et Corruptione Hom.  
Graevae. 1646.
52. — De Anima Hum. Simplicitate. 1644.
53. — Deinde IV. Conclusionum metaphysicarum. 1646.

1. 8.  
2. 3.  
3. 11.  
4. 24.  
5. 29.  
6. 2.  
7. 2.  
8. 38.  
9. 24.  
10. 39.  
11. 4.  
12. 4.  
13. 49.  
14. 49.  
15. 44.  
16. 48.  
17. 47.  
18. 45.

a - a	A - D
16	A - C
35	A - C
30	A - C
A - C	A - C
20	65
40	A - C
A - B	48
-	A - C
A - B	16
35	A - C
B - 36	A - C
A - 00	A - C
A - C	A - C
A - 00	A - C
A - B	A - B
A - D	A - K
A - 00	51
40	24
128	24
72	20
A - 00	
A - D	
14	
16	
32	
A - G B	
A - C	
A - 00	
A - C	
A - C	
B - G 1	
A - D	

16. B.  
15

Disquisitio Theologica,

De

# PASSIONE ET MORTE

Θεανδρώτου, nostri Domini JESU CHRISTI:

Quam

Adspirante divini numinis Favonio

ET

PATROCINANTE VIRO

*Admodum Reverendo, Excellentissimo, Clarissimo*

DN. JOH. CONRADO DANNHAWERO,  
SS. THEOLOGIÆ DOCTORE ET IN  
FLORENTISSIMA ARGENTORATENSIVM  
Universitate Professore celeberrimo, Facultatis Theologicae  
p. t. Decano Spectabili, Ecclesiasta vigilantissimo, Fautore & Præ-  
ptore suo aternam reverenter habendo, ac nullo non ho-  
noris cultu prosequendo

*Ad placidam voluntatem proponit & pro viribus  
defensum ibit*

MICHAEL Bauman / Creilshemio-  
Francus.



ARGENTORATI,

Typis JOHANNIS GEORGII SIMONIS,

ANNO M. DC. XXXV.

15.  
42.  
43.  
44.  
45.  
46.



AD ARAS VIRORUM

*Admodum Reverendi, Excellentissimorum, Reverendorum,  
clarissimorum, amplissimorum, praestantissimi, inte-  
gerrimorum.*

Dn. JOHANNIS GEORGII DORSCHER, SS. Theologiae in flo-  
rentissima Argentoratensium Universitate Doctoris ac Professo-  
ris Publici celeberrimi, & Ecclesiasticae vigilantissimi.

Dn. JOH. VALENTINI MAIERI, Medicinae Doctoris experien-  
tissimi, Civitatis Creilshemensis, ut & Nobilissimorum Dnn.  
Vicinorum, physici ordinarii.

Dn. M. GEORGII COLERI, Ecclesiae quae in Feuchtwang Christo  
colligitur antistitis, ejusdem diocesis Decani & Inspectoris Spe-  
cialis fidelissimi.

Dn. PHILIPPI COLERI, Ecclesiae quae Creilshemii Christo colli-  
gitur Antistitis, ejusdemque diocesis Decani & Inspectoris Spe-  
cialis spectatissimi.

Dn. JOHANNIS CHRISTOPHORI SCHROMII, Civitatis Creils-  
hemensis Consulis, ut vocant, senioris.


Dn. MICHAELIS HAIDT, itidem Civitatis Creilshemensis Con-  
sulis, ut vocant, Junioris.

Dn. JOHANNIS BERNHARDI RAUSCHARTI, Scholae Creils-  
hemensis Rectoris.

*Dnn. Mæcenatum, Praeceptoris, Patronorum,  
Cognatorum, Fautorum pie colendorum*

Ea qua par est submissione Theses hasce  
offert & maectat

Michael Bauman / Auth. & Resp.



# D. O. M. A.

Προούλιον καὶ προόμιον.



Ravissima est & memorabilis Electi illius Dei organi & gentiū Apostoli Sententia, quam in prima sua ad Corinthios epistola cap. 2. v. 2. emphaticis hisce proponit verbis: ἡ ἐκείνη τὸ εἶδέναι τι ἐν ὑμῖν ἢ μὴ Ἰησοῦν

Χριστὸν, καὶ τὸ τὸν ἐσαυρωμένον. Quibus verbis non tantum Corinthiis, sed & omnibus Christianis inculcare satagit, quòd omnis eorum scientia in CHRISTI Salvatoris notitia debeat esse fundata; unde & illa veterum sententia:

Si Christum bene scis, satis est si cætera nescis.

Si Christum nescis, nihil est si cætera discis.

Quod ut in genere omnibus Christianis, qui suum à Christo in sacro baptismatis fonte nomen sunt sortiti eiꝰ, suum dedere, ab Apostolo dictum: ita imprimis Ecclesia ministris, & iis qui operam suam omneꝰ studium Scripturæ Sacræ evolvende manciparunt, dictum est: hi non tantum in omnibus suis ad plebem Concionibus fidelissimam Christi debent facere mentionem, id quod demum Apostolicum esse testatur Megalander noster B. Luth. præf. in Epist. Jac. verum etiam Christi crucifixi gloriam & majestatem contra quasvis Heterodoxorum & hæreticorum evasias defendere & asserere tenentur. Quem in finem & hæc à nobis sunt conscriptæ Theses, ut veritas eò magis clarescat, & gloria Domini nostri gloriæ crucifixi solidius adstruatur: quem finem ut etiam sortiantur, supplicibus votis oramus Deum patrem luminum, ut lumine Spiritus S. mentes nostras illuminare, & sua nobis gratia adfirmare, nostrisqꝰ conatibus ex alto benedicere non dedignetur.

THESIS PRIMA.



Uamvis multa sint, quæ in articulo de Christo crucifixo ab adversariis veritatis in medium proferantur paradoxa, cum juratus ille generis humani hostis diabolus maximè negotiosus sit, in iis quæ ad salutem nostram faciunt, tum delendis tum obfuscandis, quia tamen plura sunt, quàm ut una disquisitione ventilari possint, ideo placuit nobis impræsentiarum, de duabus hisce nobilibus & maximè Controversis quæstionibus breviter orthodoxam nostram proponere sententiam: I. An passio pertineat ad totum Θεῶν Δεῶν, an verò solùm ad humanam eius naturam? II. An Christus Θεῶν Δεῶν pro toto mundo, & universis in illo hominibus, an solùm pro electis sit passus & mortuus?

II. Quæstionem primam quod attinet, nempe Quodnam sit subjectum passionis sive quis passus, de eo Calviniani suam sic proponunt sententiam, ut, quando dicitur, Deus est passus, illam propositionem sic resolvendam esse: Humana natura, Deitati unita, tantùm est passa, dicitur, & prædicationem hæc, Deus est passus, non realem, sed tantùm verbalem esse contendunt. Ita enim Danæus in Exam. contra Kemnit. p. 321. *passio Christi non nisi dialectica prædicatione Deo attribuitur, absque ulla reali communicatione.* Herborn. rudim. l. 2. p. 110. *Humana Christi natura tantùm mortua est, non Deitas, non tota persona.* Neostad. in admonit. p. 250. *Deus passus est ac mortuus, realiter quatenus homo, sed nominatenus, quatenus est Deus.* Et hæc explicatur à Zwinglio Ἀλλοίωσις.

III. Nostra verò & Orthodoxa de hac quæstione hæc est sententia: quod vid. subjectum patiens sit secunda persona Trinitatis, h. e. Jesus Christus Dei & Mariæ filius.

IV. Quia verò in hac persona duæ sunt naturæ, & quælibet natura singularibus constat proprietatibus, operæ pretium erit inquirere de utraque natura, ecquid cum passione commune habeat, & quantum ab ea aliena sit.

V. Hoc verò potissimum ideo faciendum, ne vel divellamus personam (in qua ἀδιασπάρσως unitæ sunt duæ naturæ) & passionem assignemus ἡλῶς soli humanæ naturæ, error enim iste fuit olim Nestorianorum, nostrâ verò ætate Zwinglianorum & Stancaristarum, vel naturas evertamus, passionem simpliciter utrique naturæ absque ulla limitatione adscribentes, id quod olim Monotheletæ & Euthychiani delirarunt.

VI. Quod

VI. Quod igitur humanam in Christo nostro Θεανθρώπου naturam attinet, nulla de ea est controversia, quod ea ad subjectum passionis sit referenda, quippe quæ eum in finem à Filio Dei in unitatem personæ suæ adsumpta est, ut in ea pati morique posset. Quamvis verò olim etiam in primitiva Ecclesia non defuerint: qui statuerint, indignum esse personam Filii Dei, assumptam carnem *πάσχειν καὶ ἀδημονεῖν*, unde carnem quoque non esse verè passam statuerunt, qui error est apud Hilarium l. 10. de Trin. hodie tamen nemo est, qui sese erroris illius participem facere velit.

VII. Jam quod ad divinam naturam attinet (quamvis ea simpliciter & in abstracto considerata planè sit ἀπαθής, nec ulla in eam cadat mutatio Mal. 3. v. 6.) de ea ex Scriptura S. & fidei analogia affirmamus, quod ad eam in concreto h. e. quatenus personali Unione carni à Maria adsumptæ unita est, passio & mors sit referenda. Pro afferenda & vindicanda nostrâ ὀρθοδοξίᾳ generalis hic militet Syllogismus.

VIII. Quodcunque dogma nititur I. Scripturæ S. fundamentis. 2. rationibus ex scriptura & fidei analogia depromptis. 3. primitivæ Ecclesiæ suffragio: illud est orthodoxum. Atqui nostrum dogma, passionem esse referendam ad totum Θεανθρώπου, est ejusmodi. E.

IX. Minoris assertio per singula membra probanda. Nititur E. nostrum dogma I. Scripturæ S. fundamentis: id quod I. manifestum est ex Es. 43. v. 25. ubi sic Deum loquentem Propheta introducit: *Servire me fecisti in peccatis tuis, præbusti mihi laborem in iniquitatibus tuis, Ego, Ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Jam verò personam heic loquentem esse verum Deum, patet ex antecedentibus v. 10. 13. 14. 15. Quicumque enim est talis ante quem nemo Deus & post quem nullus, quicumq; est ab initio, dominus redemptor noster, sanctus Israël rex noster, ille est verus Deus. Atqui talis est is qui h. l. loquitur. E. est verus Deus: & p. c. passio etiam ad Deum referenda.

X. 2. Nostram sententiam statuinamus illo Zach. 12. v. 10. *Aspicient me, quem confixerunt.* Is v. qui h. l. loquitur est Dominus extendens cælum, & fundans terram & spiritum hominis in eo fingens. v. 1. est ille qui effundit super domum David spiritum gratiæ & precum v. 10. quod non nisi de vero Deo affirmari potest, & per cons. confixum esse in concreto etiam ad divinam naturam pertinet.

XI. 3. Ex Rom. 5. v. 10. ubi Apostolus ait: *Θεῷ καὶ ἠλλάγημεν διὰ τῆς θανάτου τῆς υἱοῦ αὐτοῦ:* Deo reconciliati sumus per mortem filii sui: quod testimonium Hespero lucidius est.

A 3

XII. 4. Ex

XII. 4. Ex Rom. 8. v. 32. Si Dei *ἵδιος* pro nobis traditus, sequitur passionem in concreto esse referendam ad totam personam sine tropo. Atqui prius est ex loco cit. E. & posterius. Confer Act. 4. v. 27.

XIII. 5. Ex Gal. 2. v. 20. Quicumque se pro nobis tradidit, ille etiam pro nobis est mortuus. At filius Dei sese pro nobis tradidit. E. Majoris consecutio est ex loco Rom. 4. v. 24. *ubi Christus dicitur à patre traditus propter peccata nostra & excitatus propter justificationem nostram.* Arg. Talis traditio h. l. est intelligenda, quæ est opposita resurrectioni. Atqui traditio in mortem & passionem est opposita resurrectioni. E. illa etiam est hoc loco intelligenda.

XIV. 6. Ex 2. Cor. 5. 19. *θεός ἦν ἐν Χριστῷ, ἡσὸς μὲν καὶ ἀλλόθεν ἐστίν.* Ubi expressè habetur, Deum qui in Christo erat sibi ipsi reconciliasse mundum. Conf. Col. 1. v. 20.

XV. 7. Ex conjunctione aliquot locorum sic arg. Quæcunque scriptura affirmat *autorem vitæ esse interfectum, Deū proprio sanguine acquisivisse Ecclesiam, dominum gloriæ esse crucifixum, sanguinem filii Dei nos à peccatis purgare,* illa in Concreto passionem refert ad Deum. Atqui Scriptura S. hoc facit Act. 3. v. 15. 16. Act. 20. v. 28. 1. Cor. 2. v. 8. 1. Joh. 1. v. 7. E. Scriptura S. passionem tribuit Deo.

XVI. Roboramus II. minoris nostræ assertionem rationibus ex scriptura & fidei analogia depromptis. Quarum primam desumimus ex illo Pl. 49. v. 8. *frater fratrem redimendo non redimet unquam.* Ex quo loco sole meridiano clarius effulget, quod si Sola humana natura pro nobis passa esset, nondum essemus plane redempti, nondum Deo reconciliati, & omnis adhuc nostra salus periclitaretur. Hominis enim sanguis flagrantissimum iræ divinæ ignem extinguere, hominis robur totius mundi peccata portare, tot cruciatus & angustias sustinere hominis passio peccata delere, mortem interimere, opus Satanae destruere, vitam & salutem reparare non potuit, majoris virtutis & autoritatis opus erat, non humanorum lacertorum, sed divini roboris & infinitæ potentia. Deus igitur à Deo placandus, mundus à conditore mundi Deo reconciliandus erat, aliàs actum esset de salute nostra, nulla facta redemptio, nulla parta libertas. Hinc piè admodum Thaumasiander noster Luth. Tom. 7. Jen. f. 156. scribit: *Wir Christen wissen/wa Gott nicht mit in der Wag ist/so sincken wir mit vnserer Schlüssel zu grund: das mäine ich also / wa es nicht soll heißen Gott ist für vns gestorben / sondern allein ein Mensch / so seind wir verloren: Aber wann Gottes tod vnd Gott gestorben: in der Wag/schlüssel ligt/ so sinckt er vnder/ vnd*

und wir fahren empor / als ein leichte ledige Schlüssel. Et Tom. 3. Jen.  
f. 455. Wann ich das glaub / daß allein die menschlich Natur für mich  
gelitten hat / so ist mir der Herr Christus ein schlechter Heyland / so be-  
darff er wol selbst eines Heylands.

XVII. 2. Si sola humana natura, & non simul Deus passus, ne-  
cesse est ut non simus redempti, sed potius à Deo maledicti, cum in car-  
ne habeamus fiduciam, & carnem ponamus brachium nostrum Jer. 17.  
v. 6. Huc indicem intendit digitum Epiph. tom. 2. l. 3. p. 333. edit.  
Basil. dum ait: *passio in Deitate quidem non incidit, sed in humana natu-  
ra facta est, non relatata autem est ad humanam naturam solam, ut ne imple-  
retur in salutis dispensatione illud dictum: maledictus qui spem habet in ho-  
mine.*

XVIII. 3. Quod si verum est, Deum non esse passum, sequetur  
nos fidem nostram non amplius in totam Christi personam, sed in so-  
lam humanam naturam debere desigere, siquidem in eum tantum cre-  
dere, & in eo solo tutò confidere possumus, quem passum esse novi-  
mus.

XIX. 4. Cum meritum Christi sit infiniti valoris & virtutis,  
sequitur indubiè, quod non sit solius naturæ humanæ, utpote quæ finita  
est: causa autem nihil potest dare effectui quod ipsa non habet, juxta tri-  
tum in Scholis Logicorum Canonem. Insuper reatus noster, Christi  
passione tollendus, erat infinitus, impingebat siquidem in infinitam Dei  
justitiam: At verò actiones & passiones humanæ naturæ non sunt in-  
finitæ, sed finitæ. Ergò ut satisfactio sive redemptionis pretium re-  
sponderet infinito reatui, necesse omninò fuit, ut ad pretii exsolutionem  
non finita tantum natura, sed & infinitus Deus pateretur.

XX. 5. Si verum est, Deum non esse passum, sed solam huma-  
nam naturam, sequentur absurda: 1. humanam naturam per se subsiste-  
re. 2. unionem personalem dissolvendam cum Nestorio. 3. actiones  
esse naturarum, & non semper totius suppositi: ad quod etiam respexit  
B. Luth. Tom. 2. Witeb. p. 188. *Ubi opera divelluntur & separantur, ibi  
etiam personam ipsam dividi & separari necesse est, cum omnia opera, omnesq;  
passiones non naturis sed personæ tribuantur. Persona enim ipsa est, quæ o-  
mnia illa agit & patitur, hoc quidem secundum hanc naturam, illud verò se-  
cundum alteram naturam, quæ sanè omnia viris eruditis sunt notissima.*

XXI. Confirmamus tandem III. minorem nostram patrum  
ex primitiva Ecclesia suffragiis. Sic enim Theodor. Dial. 3. *Σῶμα καὶ  
ψυχὴν δέδωκεν ὁ ποιμὴν ὄλης ὑπὲρ τῶν ψυχῶν καὶ σώμα ἐχόντων προβάτων:*  
Epiph. in Ancorato. *τὸ πᾶθῃ τῆς σαρκὸς ὑπὸ τῆ Θεῦ φορεμένης ἐλογίσθη*  
εἰς τὸ θῆναι

εἰς τὴν θεότητα, ἡ δὲ ἐν τῇ θεότητι ἡμῶν ἡ σωτηρία γένηται. Idem l. 3. tom. 2. patiens Carne, nō divisa seu separata erat divinitas, sed (συνῆν) unā erat divinitas & humanitas, cum in cruce passus est Christus carne. Deitas vero impassibilis manebat, ut justificationem non in carne solū haberemus, sed in divinitate & carne (καὶ ἀμοιβῶν) secundum utramq; naturam salus nobis obtingeret. Athanas. serm. 4. contr. Arrian. Cum Deus esset, proprium quoddam corpus cepit, eoq; utens Organo, homo factus est propter nos, & propter hoc, quia propria sunt carnis etiam ipsius esse dicuntur, quia in carne erat: qualia sunt, esurire, sitire, pati. Cyrill. ad Reginas. Si Immanuel communis homo fuisset, quomodo utilis fuisset hominis mors? Salvavit autem mors Christi. Moriens enim naturā Deus est, & proprium ejus corpus fuit quod oblatum est. Ita Primalius ad c. 3. Rom. Deus est qui patitur, Deus est qui sanguine nos emit, quia per naturam ipsius eramus, sed redemit, quia captivi. Chrysost. in c. 2. epist. 1. Tim. Quemadmodum loci cujuslibet medium utramq; partem contingat, necesse est: ita & naturarum ambarum medium oportuit utraq; naturas contingere, atque connectere. Quemadmodum igitur homo factus est, ita etiam Deus erat. Homo quippe purus mediator nunquam penitus fieret; oportebat enim hujusmodi mediatorem cum Deo colloqui. Deus item solus mediator esse non posset, neq; enim ipsum suscepissent hi, quorum mediator accederet. Gelas. contr. Nestor. Quicquid Deitatis est, habet homo & filius hominis: & quicquid humanitatis est, habet Dominus Majestatis. Petrum audiamus dicentem, Christum passum carne, non Deitate, cum tamen ipsa Deitas totum suum faciat, quicquid caro perpessa est.

XXII. Et hinc manifestum evadit, quid sibi velint illa Irenæi l. 3. c. 21. ἡ συχάζουσι & τὸ λόγος ἐν τῷ σαυρῶσθαι, quod vid. his verbis non absentia divina a passione, denotetur, sed retractio potestatis ab opere, ut humiliatus otiosa virtute infirmari videretur, exponente B. Ambros. in c. 2. Epist. ad Philipp.

XXIII. Hinc etiam non minus patet, quā infirma, labilis, & ruinosā sit structura Allæoseos Cinglianæ, quæ quia 1. Nestoriana; personam enim Christi dissolvit, & in duas personas dividit, soli humanitati passionem, quæ semper personæ est, attribuendo. 2. Impia, dū nos nuda humanitate redēptos statuit. 3. Orthodoxæ antiquitati ignota. 4. Ipsi sanæ philosophiæ adversa, quæ opationes & actiones suppositorum esse constanter asseverat, ideo meritō cum B. Luth. in Confess. majori dicimus: Cave tibi, cave, inquam, tibi ab ista Allæosi, est enim larva Diaboli, quæ tandem talem Christum fingit, secundum cujus rationes ego nolim esse Christianus. Hoc enim illa vult, quod Christus nihil amplius

plius sit aut efficiat suâ passione & vitâ, quàm alius quispiam Sanctus. Facessat igitur procul hæc Allæosis & ad Anticyram, quâ vel triplici digna est, relegetur cum suis autoribus, quamvis Sancta ab ipsis vocitetur, Sanctitate puta Cinglio & affectis ejus dignâ.

XXIV. Hicce sic prælucente divini verbi pharo, & adstipulante rationum pondere, suffragante denique Orthodoxa antiquitate, explicatis, rectâ convertimur ad quæstionem secundam, quâ quaeritur pro quibus passus? seu An Christus pro totius mundi, omnium & singulorum hominum, nemine excluso, peccatis revera sit mortuus, an tantum pro solis electis? prius Orthodoxi, posterius Calviniani defendant. Ita enim ejusmodi in ipsorum scriptis repertiuntur emblemata? *Intolerabili nobis vox visa est, Christum esse mortuum pro damnatis*: quæ sunt verba Bezae in Coll. Mompelg. p. 241. Idem Beza part. 2. Resp. ad Acta p. 221. sic scribit: *Iterum dico & coram tota Dei Ecclesia profiteor, falsum, blasphemum, impium esse, Christum sive quoad Dei consilium, sive quoad effectum, non minus pro damnandorum peccatis passum, crucifixum, mortuum esse, & satisfecisse, quàm pro peccatis Petri, Pauli & omnium Sanctorum.* Piscator in disp. contr. Schafm. Thes. 110. *Christus pro reprobis nullo modo mortuus est, sive sufficienter sive efficienter.* Abrah. Musculus in libell. Apolog. contr. Huberum artic. 1. hæc impietatis plenissima verba ex desperatis suis faucibus eructat: *Non loquimur contra Deum & verbum ipsius, cum dicimus Christum mortuum esse pro electis, pro Ecclesia, & non pro condemnandis. Nam quod illos attinet, quod Deus noluerit eos per mortem filii sui salvare, scriptura passim testatur.* Kekerm. l. 3. c. 4. p. 341. Syst. Theol. *Ut officium propheticum, ita & sacerdotale, pertinet ad solos electos, nam pro horum peccatis Christus tantum satisfacere voluit.* Desperationis ejusmodi flosculos quamplurimos reperire licet apud Cl. Dn. Himmelium, disp. 7. Coll. Anti-Calv. p. 197. & seqq. Nos brevitate deosculantes illis citandis super sedemus.

XXV. Nos errori, vel potius furori huic Calvinistico pro stabi- lienda nostra Orthodoxia admovemus arietem Syllogisticum; tali modo sese habentem. Quæcunque sententia 1. scripturæ autoritate fulcitur. 2. rationum ex Sacra Scriptura pondere roboratur. 3. Venerandæ Antiquitatis consensu gaudet, illa est amplectenda & illi contra- ria rejicienda. At nostra doctrina de meriti Christi amplitudine est talis. E. est amplectenda.

XXVI. Minor per singula membra probanda. Quod ergò dicta scripturæ attinet, illa ad tres Classes referri possunt; quæ omnes probant Christum pro omnibus esse mortuum.

B

XXVII. Prima

XXVII. Prima Classis complectitur illa scripturæ Oracula, quæ testantur, Christum pro mundo satisfecisse, qualia sunt: Joh. 4. v. 42. *Ipsi audivimus & scimus quod hic verè est salvator mundi Christus.* Iohan. 1. v. 29. *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.* Ioh. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: Non enim misit Deus filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut mundus servetur per eum.* Ioh. 12. 47 *Non veni ut judicem mundum sed ut servem mundum.* Ioh. 6. v. 51. *panis quem ego dabo vobis caro mea est, quam ego dabo pro vita mundi.* 2. Cor. 5. v. 19. *Deus erat in Christo, reconcilians sibi mundum, non imputans illis peccata sua.* 1. Ioh. 2. v. 2. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

XXVIII. In his & similibus dictis gens Sacramentaria conrendit vocem mundi notare tantum electos, verum cave nomine mundi aliud intelligas, quam totum humanum genus, quale in hunc mundum nascitur, nempe peccato contaminatum, & propter illud æternæ damnationi obnoxium. Qui enim contendunt mundi vocabulo notari non totum humanum genus, sive omnes in universum homines, sed solos electos, nempe per absolutum quoddam & arcanum decretum, illi non tantum omni fundamento scripturæ destituuntur (cum nullum, nullum, nullum possit ex toto sacro codice proferre testimonium, ubi vox mundi accipiatur pro solis electis) verum etiam, quantum in ipsis est, ipsum fundamentum Evangelii de Christo everunt, afflictis conscientis eripiunt necessariam & efficacem consolationem, & viam sternunt certissimam ad desperationem, quæ verba sunt B. Dn. D. Menzeri Tom. I. Giesl. disp. 14. p. 618. Adde quod hæc explicatio sit etiam absurda, cum electi non sint mundus, sed tantum aliqua, & minima quidem portiuacula mundi.

XXIX. Altera Classis continet ea scripturæ dicta, quæ testantur Christum pro omnibus hominibus satisfecisse & mortuum esse: & hæc sunt: Esa. 53. v. 6. *Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit dominus in eo iniquitates omnium nostrum.* Ioh. 1. 9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Rom. 5. v. 18. 19. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem.* 2. Cor. 5. v. 14. *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Col. 1. v. 20. *Complacitum est patri per Christum omnia reconciliare erga se, pacificatis per sanguinem crucis: Jesus, sive quæ in terra sunt, sive quæ in caelis.* 1. Tim. 2. v. 6. *Christus dedit*  
moderata

redemptionem semetipsum pro omnibus. 1. Tim. 4. v. 10. Deus est salvator omnium hominum, maxime verò fidelium. Rom. 8. v. 32. Deus proprio filio non pepercit, sed illum dedit in mortem pro omnibus, Hebr. 2. v. 9. Christus pro omnibus gustavit mortem.

XXX. Tertia Classis ea scripturæ testimonia comprehendit, quæ innuunt, Christum etiam pro iis mortuum, qui suâ culpâ damnantur, qualia sunt Rom. 14. v. 16. *Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Christus est mortuus.* 1. Cor. 8. v. 11. *peribit in firmis in scientia tua frater, propter quem Christus mortuus.* 2. Pet. 2. v. 1. *Doctores mendaces negant, qui ipsos mercatus est, dominū, accersentes sibi ipsis celerē interitū.* Conf. Heb. 6. v. 4. *fieri non potest, ut qui semel fuerint illuminati, gustaverint q̄ donum cælestē, & participes facti fuerint Spiritus S. gustaverint q̄ bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi, si prolabantur, denudò renovari ad pœnitentiam, ab integro crucifigentes sibi met ipsis filium Dei.* Heb. 10. v. 29. *Quantò putatus, pejoribus suppliciis afficietur, qui filium Dei conculcarit, & sanguineus Testamenti ceu rem profanam habuerit, per quem fuerat sanctificatus.*

XXXI. Sacræ Scripturæ oracula sequuntur jam rationes, quibus porrò nostram sententiam stabilimus: Earum verò primam desumimus à generali Christi pro omnibus intercessione. Arg. Quorum Christus est advocatus & Intercessor, eorum quoq; est reconciliator. Immediatè enim istæ duæ officii Sacerdotalis partes conjunguntur 1. Ioh. 2. v. 1. 2. neque à se invicem divelli possunt, cum reconciliatio non sit sine intercessione, nec intercessio ullum habeat locum, nisi prius factâ reconciliatione. *Atqui Christus est totius mundi advocatus & intercessor.* 1. Ioh. 2. v. 1. 2.

XXXII. Altera ratio itidem ex scripturæ armario depromitur, quâ hostes veritatis hunc in modum prostratum imus. Quicumque venit salvare quod perierat, is venit salvare totum mundum, & omnes in universum homines. Ratio conseq. est evidens, quia nullus à peccato est exemptus. Pl. 14. v. 3. Rom. 3. v. 10. seqq. Iob. 15. vers. 16. Rom. 3. 23. *Atqui Christus venit salvare quod perierat; ut ipse fatetur Matth. 18. 11. E.*

XXXIII. Tertiam rationem desumimus ex Luc. 2. v. 10. *Ex nativitate Christi futurum est gaudium omni populo.* Arg. Aut Christus natus pro omnium hominum peccatis erat satisfactor aut non erat. Si hoc, cur E. in nativitate ejus gaudere debent ii, ad quos nihil attinet, quos non est mercatus, quos non redemit? Si prius, habemus quod volumus. Confer Tit. 2. v. 10.

XXXIV. Quantò porrò hunc in modum ratiocinamur. Si  
B 2 Christus

Christus tantum pro electis & non etiam pro reprobis & p. c. pro toto mundo mortuus est, sequitur dicendum esse, hos non propter incredulitatem, vel propter Evangelii de Christo contemptum posse damnari. Atqui hoc absurdum. E. & illud. Ratio Conf. in majore est manifesta; quomodo enim per incredulitatem dici possunt rejecisse Christum ii, pro quibus Christus neque passus neque mortuus, ac proinde nihil quicquam ad eos attinuit? Reprobi namque, *ἀπισθῶς* cum scriptura loquendo, damnantur primario propter incredulitatem, quia sacrificium illud Christi respuunt, extra quod non amplius pro peccatis est hostia, nihilque restat aliud, quàm formidabilis quædam expectatio judicii.

XXXV. Quintam rationem ex absurdo sic informamus: Si Christus non pro omnibus hominibus satisfecit, absurdus fuit Christus, qui beneficia passione & morte suâ parta omni creaturæ voluit offerri & annunciari. Atqui posterius est blasphemum. E. & prius.


XXXVI. Tandem accedit ad dictorum & rationum pondera Orthodoxorum Antiquitatis Doctorum consensus. Sic enim Ambros. serm. 8. in Pl. 118. *Sol justitiæ omnibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, omnibus resurrexit: Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio se fraudat, ut si quis clausis fenestris radios solis excludat.*


Ex hisce sole meridiano clarius effulget, quàm horrenda illa fuerit vox Beza: quâ dixit, Intolerabilem esse vocem, Christum mortuum esse pro damnatis: quæ sententia quia ex Deo facit 1. Hypocritam & deceptorem bilinguem, utpote qui omnes vocat, nec tamen id, ad quod vocantur, ex mente Cinglianorum omnibus acquisitum est 2. perjurum, utpote qui jurat, se nolle mortem impii, & tamen pro ipso filium non dedit. 3. Injustum, ut qui eos quos absoluto decreto reprobavit ab æterno, ac pro iis filium non misit, ad æternam damnationem detrudat. 4. Tyrannum, ut qui eos puniat, quos ad culpam & pœnam condidit, qui deploret mortem & interitum eorum, quos ab æterno ad interitum creavit. Ideo figmentum hoc suis relinquimus autoribus, & Deum supplices veneramur, ut non tantum in Orthodoxia nostra & veritate sua nos confirmare & sanctificare, sed & pufillo suo gregi gratiâ & clementia sua adesse non dedignentur!


#### COROLLARIA.

1. *U* *ni*versalis est Dei erga totum genus humanum dilectio.
2. *U* *ni*versalis est vocatio ad fidem in Christum.
3. *Q*uia Calviniani negant mortis Christi universalitatem, ideo in fundamento fidei a nobis dissentiunt.


FINIS.

















5  
IV.

**ca genus non est ars nec prudentia.**

ut prolixi sumus, nulla flagitat nece sitas: unico igr  
ur: quicunq; habitus philosophicus non est practi-  
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ  
adunt, illius quoq; genus esse nequit. Atqui Meta-  
phis habitus Erg. genus ejus prudentia esse nequit.  
t prudentiæ propria indoles, uti minore[m] ipsius  
a, quæ est mera theoretica seu speculativa. De arte  
dam movere ausi sunt, quibus opponimus hanc ar-  
ti non competit definitio artis, illius genus ars esse  
ysicæ non competit definitio Artis. Erg. Major  
tio generis competit speciei generi subjectæ, quia  
eò est corpus animatum sensu præditum. Minor  
one artis. Ars, inqt. Philosophus 6. Ethic. est habi-  
tusectivus: hoc a. de Metaphysica nemo sanæ men-  
theor. transe. disp. 1. th. 28. p. 10. quia habitus pra-  
yfica, quomodo ars erit? Cum omnis ars sit habi-  
es habitus practici: Forlan species alicui compe-  
genus illius speciei? quod ego non crediderim,  
omo sit & non animal. Hac ille. Artem contem-  
m Mart. part Metaph. l. 1. q. 2. f. 1. & Scharf. theor.  
p. 20. proclamamus σιδυρόζυλον. Nec juvat eum  
io, quam ex Luciano suo accurato illo definitore  
quæ quam perfecta & accurata sit, videatur Exc.  
b. 1. art. 3. f. 3. p. 10. Scheibl. Met. l. 1. c. 1. art. 2. n.  
p. 7. l. 1. quest. 1. & alii.

V.

**ca genus non est intelligentia.**

usio non aded sit apud Dd. Metaph. controver-  
a brevis ero: sicuti a. de scientia strictè ita dicta  
lided non possit esse genus Metaphysicæ, quia  
siones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic  
æ constituere nequeat, quia præcisè Principia  
mentum. Qui habitus in nudis acquiescit Prin-  
a. esse nequit. Ast intelligentia talis est. Erg. Ma-  
A 3 jor